



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Amor Deiparæ Virginis Mariæ; Petri Antonii Spinelli  
Neapol. Societ. Iesv**

**Spinelli, Pietro Antonio  
Coloniæ Agrippinæ, 1620**

Tertiò, Deipara imitanda in virginitate puriſſima. nu. 7.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60948](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60948)

*August.*

Augustinus de symbolo ad Catechu-  
 menos lib. 4. c. 5. cum ad virginitatē ser-  
 uandam fideles hortaretur: *Gaudete, in-*  
*quit, Virgines sancta, ut propter Christum*  
*non vos contristet sterilitas, quarum fides*  
*magna est fecunditas. Nec doleatis non vos*  
*esse matres, quae spiritu aliter generatis. &*  
*mox: Imitamini fideles Mariam Caput*  
*vestri. Quod tanta matri contulit, & in sua*  
*carne seruauit, hoc etiam nobis donauit*  
*Virgo Mater sancta, caro Christi ab omni*  
*contagione libera. haec Augustinus.*

TERTIO, DEIPARA  
 imitanda in virginitate  
 purissima.

TERTIO, virginitas in Deipara maxi-  
 me clucet: de cuius virginitate ali-  
 quid cap. 21. & copiosius egimus cap. 32.  
 Haec virtus multis nominibus à Deipa-  
 ra exigitur ab ijs, qui eiusdem colendae  
 studio tenentur.

*Damasc.*

Ideo Damascenus oratione 2. de dor-  
 mitione: *Virgo ipsa est, & Virginum amans:*

*Sophron.*

*Pura est, & purorum amans. & Sophron.*  
 serm. de Assumpt. *Christus matrem Virgi-*  
*nem elegit, ut ipsa omnibus esset exemplum*

*Ambros.*

*castitatis. Ambrosius libr. 2. de virginita-*  
*te: Sit, nobis, inquit, tanquam in Imagine*  
*descri-*

descripta virginitas vitaq; Beata Maria, de qua velut in speculo refulget species castitatis, & forma virtutis. Propterea Chrystomus in sermone de beata Virgine: Quacunque, inquit, estis Virgines ad matrem Domini confugite: Illa enim pulcherrimam, pretiosissimam, & incorruptibilem possessionem patrocinio suo vobis conferuabit. Ideoque qui eius deuotionis se dedunt, castitatem purissimam animæ, & corporis præcipue colant: sic enim & ipsi, & eorum obsequia Virgini grata erunt. Legitur enim in speculo exemplorum dist. 9. & num. 26. de Iuene quodam impudico, cui cum Virginem frequentissime collaudaret in vasta quadam solitudine esurienti Virgo sanctissima in vasis turpibus, & immundis epulas obtulit delicatas: sed cum Iuuenis propter vassorum immunditiam comedere se posse negaret: Laudes (inquit Virgo) quas mihi offers, bonæ sunt: sed cor tuum immundum est; Ideo tuis laudibus non delector. Qua visione admonitus resipuit, vitamque meliorem instituit.

Chrysof.

Specul.  
exempl.  
Laudes  
Virginis  
à corde  
mundo  
gratiores.